

dentem; unde miror, etiam BROCHMANDVM orationem Apostoli pro *elliptica* habere potuisse, sic supplenda; και η γλωσσα πυρ εστιν, ο κοσμος της αδικιας υλη. GROTIUS eundem in sensum verba explicat, quasi scriptum esset: η γλωσσα πυρ τω κοσμο της αδικιας, ubi της αδικιας refert ad πυρ, ut sensus sit: *lingua ignis iniustitiae est mundo*, qua ratione mundus ipsi est *materia*, quam ignis accendit, dum vero ad Syrum provocat, recte CLERICVS monet, GROTIUM non satis diligenter inspexisse hunc interpretem, HAMMONDVM vero GROTIUM temere secutum esse.

§. X.

His, de constructione verborum nostrorum non cum praedicto sed cum subiecto, praemissis, porro jam quaeritur: quo sensu lingua dicatur ο κοσμος της αδικιας, *mundus ille iniquitatis?* A.) Singularis plane est OECVMENII & ISIDORI Pelusio-
ta explicatio, qui h. l. κοσμον eo accipiunt sensu,
quo, aequae ac latinum mundus, notare alias solet
ornamentum seu velamentum, ita ut lingua heic dicatur

ornamentum & velamentum quasi iniquitatis, quia ho-
mines lingua sua abuti soleant ad ornanda, velanda,
incrustanda & coloranda putidissima scelera; Sed tam
longe hoc quaesitum est, ut miremur, post STEPHA-
NVM apud ER. SCHMIDIUM p. 1353. ELSNE-
RVM quoque Obs. ff. p. 391. eam potuisse suam fa-
cere; Contextus linguam repraesentat non ut *patro-*
nam iniquitatis, verum ut *effeetricem* omnis iniquita-
 tis. B.) HEINSIO in *Exerc. ff. κόσμος* idem dicit
 quod *σκευος*, *instrumentum*, iniquitatis. Sed veremur,
 ut ista vocis *κόσμος* significatio idoneis exemplis pro-
 bari possit. Omnium minime C.) audiendus est ille,
 qui, WOLFIO citante, pro *ὁ κόσμος* legi voluit
διακισμὸς, *gubernaculum*, ut sit allusio ad similitudinem
 v. 4. Recte is *laud. Auctori vapulat p. 47.* Aliis, iisque
 longe plurimis D.) *proverbialis* esse videtur hæc lo-
 cutio, ut *mundus iniquitatis* nil aliud dicat, quam
complexum, congeriem, seu cumulum omnis iniquitatis,
 quemadmodum alias proverbio dici solet: *Ilias malo-*
rum, Oceanus scelerum, mare miseriarum, diluvium
improbitalis, mundus divitiarum, qua phrasi etiam
 si LXX. utuntur Prov. XVII, 4. τὸ πᾶν ὄλος ὁ κόσ-
 μος

μος τῶν χρημάτων, *ejus, qui fidelis est, est totus mundus*
divitiarum, τὸ δὲ ἀπίστου ἐστὶ ὀβολός, ejus autem, qui in-
fidelis est, ne obolus quidem; quamquam *Codex Roma-*
nus totum hoc hemistichion non habeat, nec in Ebræo,
 Chaldæo, Syro, Latino, & Versione Luth. quid-
 quam ei respondeat. Utuntur etiam Alexandrini vo-
 ce κοσμος pro ebræa, נצח, *exercitus, copiæ,* multis
 in locis, ubi de exercitu cælorum sermo est, ut
 Gen. II, 1. &c. B. BAUMGARTENIO maxime huc
 quadrare videtur locus 2 Petr. II, 5. ubi κοσμος ἀσε-
 βων, diluvio deletus, opponitur 8. animabus in dilu-
 vio servatis. E.) Attentionem nostram flagitat, ex-
 positio *Bengeliana* in Gn. ad h. l. ubi hanc adpellatio-
 nem, qua lingua dicitur *mundus*, non ex usu *prover-*
biali, eoque *hyperbolico*, qualem hic agnoscit GLAS-
 SIVS p. 1938. sed altius, & servata magis pro-
 prietate phræos, repetit ex ipsa illa convenientia,
 quæ est inter *macrocosmum* & *microcosmum*, atque inter
 totum *microcosmum*, & *linguam*, partem ejus; ut *macro-*
cosmi, inquit, *instar est microcosmus, sic microcosmi in-*
star est lingua, hunc totum ciens; Ipsi etiam S. Scri-
 pturæ haud infrequentem esse metaphoram a macro-

cosmo ad microcosmum, locis quibusdam comprobatur, hancque & *Jacobum* heic adhibere afferit; Sicut nimirum *macrocosmus* habet *superiora* & *inferiora*, quæ, quoad partem *melio-*
rem, sunt *cælum* & *terra*, quoad *deteriorem*, *terra* & *gebenna*, ita quidem, ut *terra* sit *intermedium* quiddam ab utroque extremo participans; Sic in *microcosmo*, sive homine, *Sphæra superior* est *ipsa natura humana rationalis*, *rota* *nativitatis* in seqq. dicta, *pars profundior*, quæ *gebenna* deinceps dicitur, *cor* hominis; *intermedium* vero, quod in *macrocosmo* est *terra*, id in hoc *microcosmo* est *lingua*, quæ ab *Apostolo*, cum ex inferioribus inflammatur, & superiora inflamat, *mundus* seu orbis *injustitiæ* dicitur, quasi *microcosmus* quidam in homine *microcosmo*. Ita comparata est hæc interpretatio, ut sua se concinnitate commendet, atque etiam per totum reliquum comma lucem suam diffundat; Enimvero ex altera etiam parte haud dissimulandum est, varia esse in ista, quæ assensum morari possint; a) enim negare quidem haud sustinemus, in quibusdam *S. Scripturæ* locis allusionem fieri a *macrocosmo* ad *microcosmum*, ita ut, quæ in

boc

hoc fiunt, exprimantur phrasibus ab isto desumptis, veluti cum Davides Ps. CXXXIX, 15. se *formatum* ait *in imis terræ*, & Salomo Eccl. XII, 3. *oculorum* in corpore humano imaginem facit solem, lunam, & stellas, luminaria macrocosmi; sed erunt fortasse, quibus hoc modo nondum videbitur evictum esse, linguam, quæ pars est microcosmi, a Jacobo heic proponi ut *microcosmum* quasi *in microcosmo*. b) Si, ut macrocosmi instar est microcosmus, ita microcosmi instar est *lingua*, & huic assignanda erunt sua *superiora*, *intermedia*, & *inferiora*, quod qui fieri queat, difficile est ad intelligendum. c) Metaphora a macrocosmo ad microcosmum heic videri possit alienior esse, quia lingua δ *κοσμος τ. α.* dicitur non respectu *macrocosmi*, sed in oppositione ad id, quod illa v. 5. dicta est *μικρον μελος*, ita ut Apostolus plus haud videatur dicere voluisse, quam hoc: *Lingua, pusillum* adeo membrum, *mundus* tamen est *injustitiæ*, h. e. *ingens omnium malorum complexus, universitas iniquitatis*, ut Vulgata Hieron. vertit; Egregie sane hæc interpretatio respondet præcc. assertis v. 5. *μικρον μελος — μεγαλαυχει, &: ολιγον πνευ — ήλικην υ-*
λην

λην — ἀναπτει· Neque, ut aliam præterea emphasin
in verbis Apostoli quæramus, opus esse videtur.

§. XI.

ὁυτως) Hanc particulam non habet Codex. Alex.
cum duobus aliis, nec Latinus uterque, nec Syrus,
unde BENGELIVS in *marg.* N. T. hanc lectionem pro
firmiore habet lectione textus, licet non plane certa,
& in *App. Cr.* τὸ ὁυτως ex v. 5. huc illatum existi-
mat; in *Gnom.* vero hanc præterea rationem adfert,
quod Apostolus, si *illud* in hac similitudine iterum
adhibere voluisset, non in *medio*, sed in *principio* apo-
dofeos adhibuisset: ὁυτω και ἡ γλωσσα πυρ· Dein-
ceps respondet WOLFFIO, pro hac particula dispu-
tanti; Ac sane vix dari potest ratio, cur in *medio* apo-
dofeos demum compareat particula comparandi, quæ
aptius posita fuisset *initio* statim, ut v. 5. Cohæren-
tiam vero, quam omiffa hac particula WOLFFIVS in
textu desiderat, optimam ostendit ὁ μακαριτης noster.
Ἡ γλωσσα καθισαται ἐν τοις μελεσιν ἡμων) 1) Ἡ γλωσσα
per anaphoram & emphasin iterum ponitur, ut in
priori